0087

137-77

Si ab antiquissima Procerum familia, splendorem derivare honestum, si rebus a se pulchre gestis inclarescere gloriosum censeatur, utroque hoc nomine singulari nostræ Æstimationi sese commendat prædilectus, et per quam fidelis Consiliarius noster Carolus Montague armiger, illa Domo ortus, quæ tres Comites, et octo simul alterius Ordinis Senatores, in Imperii nostri Decus et Subsidium fœlici ubertate sufficit; illis virtutibus ornatus, quibus nullum honoris incrementum aut bonus Cives invideat, aut æquus Princeps non ultra offerat. Ingenium ei ad res arduas formavit Natura, excoluerunt Literæ, perfecere et bene dicendi usus, et graviter agendi exercitatio: In tractandis in Senatu negotiis strenuum et disertum, in consilio sanctiori fidum et prudentem in administrando Ærario habilem et incorruptum; in Fisci causis adjudicandis integrum et perspicacem experti sumus. Quod nobis pro libertate et Religione, pro communi Europæ incolumitate, pro novennium militantibus Bello, Subsidia haud defecerint, id Senatui omni debere grate agnoscimus; sed nec tacenda est. Viri egregii solertia, qua cautum est, ne, in summa nummorum inopia, Fides Publica, Fœnore plus æquo, debilitata consideret. Ejusdem quoque fœlicitati saltem tribuendum, quod ærario nostro eo tempore præfuit, quo monetam scelerato rum fraude viciatam et immutatam Consilio, non minus fauste quam audaci (quod sæculi opus videbatur) infra Biennium recudi et redonte gravi ad admirationem vidimus et ingruentibus, Rei Pecuniaris angustiis eo auctore, novam et inusitatam inivimus Rationem, qua Chartæ pretium arrogando Divitias Publicas ampliari curavimus. Ob hæc præstita Officia Populo sese charum præbuit: ob hæc collata in Populum

Beneficia

Beneficiis nostram facile consecutus est gratiam, quo igitur animi propensione frequentibus subditorum votis solemus respondere, ea alacritate hunc Procerum numero volumus, quem Senatus communi suffragio, propter sua in nos nostrosque merita Regio favore dignum pronunciavit Scialis.

0088